Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tuum inuocasti, ut si fieri posset, transferretur à te
calix passionis tuæ, per tristem intercessum matris
tuæ ad crudele spectaculum passionis tuæ, et mortis
tuæ, per probra, sputa, colaphos, irrisiones, accusatio-
nes, alapas, per uincula et flagella per internas la-
crimas tuas. Expelle domine Jhesu Christe spiritu
à te maledictum, qui famulam istam N. ac cre-
aturam tuam inhabitat per sanguinem et sudorem
tuum, per pauorem et tædium ac moesticiam mortis
tuæ, per regale caput tuum, arundine conquassatum,
per uerecundiam quam habuisti, quando denudatus
in cruce coram matre, omnigq populo pependisti, per
spineam coronam tuam. Coniuro te pessime doemon,
qui in homine isto habitas, per sitim et gustum aceti,
per patientiam et taciturnitatem Christi, per clauos
infixos manibus et pedibus, per coronam spineam im-
pressam capiti, per riuos sacri sanguinis eius, per cla-
morem quem emisit, inclinato capite in cruce, cum
animam suam, et nos commendauit in manus patris
sui coelestis, et sic nos priuauit potestate uestra, quam
prius habere potuistis in nos peccato originali ex cul-
pa primorum parentum: per descensum eius ad In-
feros, cum uobis tartarum confregit, per resurrectio-
nem eius, per ascensionem eius, per sancti spiritus